Viro celeberrimo
I. C. LONGOLIO
s. d.
Th. Ch. Harles

Maximopere laetor, quin glorior a tanto viro, qui in summa laude est, laudari, quae quidem laus maxima mihi videtur. Ago TIBI, vir celeberrime, gratias quas possum maximas, qui non solum precibus meis fecisti satis, sed & TUA quoque amicitia, quo vocabulo si uti mihi licet, nescio an indignum, dignum me iudicasti. Quare eo maiorem diligentiam in exornanda vita TUA pro virium tenuitate adhibebo. Cui verecundiae limites semel transgressus, eum graviter impudentem esse oportet. TIBI splendidam esse bibliothecam et cum summis viris litterarum usum, haud ignaro. Idcirco nihil mihi erit optabilius, quam ut, qui sit usus litterarum cum doct. viris, qui quidem ad commendationem vitae mul-

132 v

tum puto conferre, mihi significes, idemque, ni TIBI molestum erit, Europam, quam vocant eruditam Strodtmanni, eamque partem, in qua b. Christii et Hagelii vitae descriptae sunt mittas ~~vel~~ mihi. Ego vero ad ornandum meum libellum cupio, ut potestas mihi sit, vitas exterorum, praesertim Batavorum, quorum laus in litteris elegantioribus haud exigua est describendi. Quamobrem per mihi gratum erit, quum TVO beneficio, TVAque opera passim de illorum vitis fieri certior. Sed quam inverecundus, quam agrestis TIBI videbor. Ignoscas quaeso. Ad TE quem humanissimum esse scio confugi. TVA humanitas facit, ut in petendo fiam audacior. Doctissimus quisque TVAM artis diplomaticae rarum praedicat atque miratur cognitionem. Neque vero ego tantum absum ut ab hac arte abhorream, ut potius ea delecter. Quid igitur mihi gratius accidere poterit, quam ut copia mihi fiat, TECUM versandi, TVA opera cognitionem meam, qualemcunque in

illa augendi, ita tamen ut Curiae possim honeste viuere.
In edendis auctoribus classicis, si quid in me est, TE adiu
uarem. Nihil enim magis in votis habeo, quam ut mu-
nus aut scholasticum aut academicum aliquando capessam.
Quare TUA opera atque institutione, operaque bibliothecae
TUAE splendidissimae me magis praepararem, ut aliquan
do haud indignus, neque illi obeundo impar viderer. Sed
haec sub rosa dicta velim. Ignoscas ~~nugis~~ nugis meis,
et fac ut intelligam, me a TE diligi. A me omnia
officia et pietatis et humanitatis expecta. Festinante
calamo inter labores concatenatos scrib. Ienae die
postrid. id. Nov: CIↃIↃCCLXI.